

097

095

101

091

106

086

146

046

196

Ende

Anfang

82

nostra supellectili ad mare ducendum, et profecti sumus contra
maris oram; et in oppidum Masters venimus, volentes procedere
usque in Margerum, ubi limbus est maris magni. In ipso
autem oppido occurrit nobis quidam Theutonicus inquirens an
essemus de societate domini Johannis de Cymbern Baronis?
Quo auditio, quod sic: reduxit nos in hospitium et paratam
mensam cum cibo et potu ostendit nobis, dicens: Dominum
Johannem de Cymbern ita ordinasse pro nobis fieri. Duxit
nos etiam in hortum domus, et in flumine, qui ibi de montanis
ad mare decurrit, ostendit nobis magnam barcam, quam
Dominus Johannes Baro de Cymbern de Venetiis miserat in
Masters, ut ibi per flumen in mare navigaremus. His visis
laetati sumus, et consedimus edentes et libentes, quae parata
erant. Postea omnem dominorum supellectilem tulimus in
navem, et omnes simul ingressi ipsam barcam satis graviter
oneratam reddidimus, quia multi eramus, et Dominorum
supellex ac servorum non modica erat. Sic ergo terrae
valediximus, committentes nos aquis, et ingressi barcam
per flumen quasi unum miliare descendimus contra mare. Cum
autem ad locum venissemus, ubi fluvius faucibus maris magni
illabitur, ad limbum et oram maris, et aquam salsam ac
amararam maris ingressi essemus navigio, incepimus cantare
altis et laetis vocibus peregrinorum carmen, quod pergentes
ad Dominicum sepulchrum cantare solent: Inn Gottes Nahmen
fahren wir, Seiner Genaden begehren wir: Nu helff vn̄ die
Göttlich Kraft, vñnd das Heylige Grab, Kyrieleyson. Quod
latine sonat: In Dei nomine navigamus, cuius gratiam desi-
deramus: cuius virtus adjuvet nos et sanctum sepulchrum
protegat nos, Kyrie-eleyson. Inter haec non nulli considerantes
ipsius maris amaritudines et mille ejus pericula, non cantum
sed in cordibus suis planctum fecerunt. Quidam vero devotione
ad sanctum sepulchrum affecti, ex cantu moti fieverunt. Alii
ipsum mare tanquam coemeterium suaे sepulturae horruerunt.
Caeteri, nihil futurum perpendentes vel timentes, riserunt.
Interea prope castellum Margerum venimus, et procedentes
juxta turrim, quam nominant turrim de Marger, obviam barcam
habuimus, quam quidam juvenes fortes trahebant contra
Margerum remis impetuose, et impegit in nostram barcam et

